

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Sapientia uel scientia m
cum fonte primo et 1550 editione

Iustorum, inquit, sapientia est nil per ostentationem fingere, sensum uerbis aperire, uera ut sunt diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentius tollerare quam facere, nullam iniurie ultionem querere, pro ueritate contumeliam lucrum putare. Hec iustorum simplicitas deridetur et a mundi sapientibus fatuitas reputatur.

Quid enim in hoc mundo stultius quam admissa non

querere, possessa sapientibus relaxare, nullam pro acceptis iniuriis reddere, immo adiunctis aliis pacienciam prebere?

Gregorius ibidem (X. moralium exponens illud Iob XII: Deridetur iusti simplicitas).

At contra sapientia iustorum est nil per ostensionem fingere, sensum uerbis aperire, uera ut sunt diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere; nullam iniurie ultionem quaerere, pro ueritate contumeliam lucrum putare. Sed haec iustorum simplicitas deridetur quia ab huius mundi sapientibus puritatis uirtus, fatuitas creditur.

Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul dubio stultum putatur; et quicquid in opere ueritas approbat, carnali sapientiae fatuum sonat.

Quid namque stultius uidetur mundo quam mentem uerbis ostendere, nil callida machinatione simulare, nullas iniuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quaerere, possessa relinquere, sapienti non resistere,

percutienti alteram maxillam praebere?

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 10, 29 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.571, ll.14-27).

Iustorum, sapientia est: nil per ostentationem fingere, sensum uerbis aperire, uera ut sunt diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam iniurie ultionem quaerere, pro ueritate contumeliam lucrum putare, sed haec iustorum simplicitas deridetur, quia et a mundi sapientibus puritas uirtutis fatuitas creditur.

Quid namque stultius uidetur mundo, quam mentem uerbis ostendere, nihil machinatione callida simulare, nullas iniuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quaerere, possessa relinquere, sapienti non resistere,

percutienti maxillam alteram prebere.

Flores omnium fere doctorum (Venetiis, 1550), fol.462v.